GREGORIUS MAGNUS

Zwettl, um 1200 Seite 31v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31655
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



Quid aliud omnis iniqui nisi membra sunt
diaboli? Ipse itaque per eos agit. quicquid in
eorum cordibus ut agere debeant innotes
cit. Habet autem nunc diabolus contra ec
clesiam furorem. sed sparsus eius furor
est. quia occultas temptationes per singu
los mouet. Cum uero contra eam in aperta
persecutione proruperit. furorem suum in
ea colligit. quia in afflictione illius
tota se intentione constringit. Mem
bra autem eius hoc pacis tempore id cir
ca contra electos collectum furorem
non habent. quia maliciam suam minus se
se sentiunt posse implere quam uolunt.
Cum uero sibi suppetere licentiam praui
tatis appetunt. tanto hec audacius fe
riunt. quanto et contra illam ex unani
mitate glomerantur. Recte ergo nunc
dicitur collegit furorem suum in me. Cu
ius adhuc furor ut latius exponatur.
dicitur. Et comminans mihi infremuit con
tra me dentibus suis. De quo et subditur.
Hostis meus terribilibus oculis me intuitus
est. Ille quippe antiquus hostis ecclesie contra
hanc dentibus suis fremit. eamque ter
ribilibus oculis intuetur. quia et per alios
crudelia exercet. et per alios que exerce
at preuidet. Dentes quippe huius hostis
sunt persecutores bonorum atque carnifices.
qui eius membra laniant. dum electos
illius suis persecutionibus affligunt. Oculi
uero huius hostis sunt hi qui contra eam prui
dent mala que fiant. suisque consiliis
persecutorum eius crudelitates inflam
mant. Antiquus uero eius aduersarius

contra eam dentibus suis fremit. dum per cru
deles reprobos in ea insequitur uitam bonorum.
Intuetur hanc terribilibus oculis. quia
prauorum consiliis non cessat mala exquire
re. in quibus hanc semper deterius affligat.
Nam sicut incarnata ueritas in predica
tione sua pauperes et idiotas elegit. et
simplices. sic e contra ille dampnatus
homo quem in fine mundi apostata
angelus assumet. ad predicandam falsita
tem suam astutos ac duplices atque hu
ius mundi scientiam habentes electu
rus est. Unde et per esaiam dicitur. Ve terre
cymbalo alarum que est transflumen
ethyopie. que in mari legatos. et in ua
sis papyri super aquas. Terra quippe cui
ue dicitur. ille principaliter dampnatus
homo est. qui alarum cimbalum uoca
tur: quia hi qui per superbiam in altitudi
nem cogitationis euolant. eundem
peruersum hominem predicando sonant.
Que scilicet terra recte transflumi
na ethyopie esse dicitur. Ethyopia etenim
nigrum populum mittit. et omnem homi
nem mundus iste quia peccatorem
profert. quasi nigrum ethyopie populum pa
rit. Sed terra cui ue dicitur trans[illegible] flu
mina ethyopie esse prohibetur: quia
ille dampnatus homo tanta immen
sitate iniquus est. ut omnium pec
cantium peccata transcendat. Qui
mittit in mari legatos. quia predicatores
suos in seculo spargit. De quibus recte sub
ditur qualiter mittantur. dum dicitur in ua
sis papyri super aquas. Ex papyro quippe